

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

stionem, an scilicet mali in inferno peccaturi sint, in tres secat partes: *Primò*, inquit, *quæritur*, utrum damnati velint se peccasse? *Secundò*, utrum voluntate deliberativâ damnati malint non esse, quam esse se? *Tertid*, utrum damnati mallent omnes esse damnatos, quam quosdam beatos? Ad primam autem quæstionem, quæ propriè hujus est loci, ita respondet: *Dicendum*, quod mala voluntas dicitur dupliciter, ut actus & habitus. Dico ergo, quod timor servilis damnatis non aufert habitum voluntatis, sed aufert actum. Iste enim non vult luxuriari, quia timet puniri de ipsâ voluntate. Tamen habitum non aufert: quod patet, quia si separaretur impunitas, vellet utique luxuriari. Sic intelligendum est in damnatis, quod dolor pœnalis aufert ab ipsorum voluntate actum volendi peccare, quod revera damnati non appetunt luxuriari nec dominari propter pœnas, quas ex illis actibus sentiunt se incurrisse. Habent tamen habitum voluntatis male, per quam appeterent peccare, si non crederent se puniri. Si ergo quæras, utrum damnati nolint peccasse, dico, quod nolunt non propter hoc, quod peccatum eis displiceat, quasi injustum, sed quod eis displicet pœna justa. Et idèd malam habent voluntatem, hoc volendo. Et idèd adhuc vivit in eis voluntas peccandi, licet dolore pœnarum impediatur, ne exeat in actum suum. Vides hic clarissimè expositam esse Augustini sententiam & cum libro de Fide ad Petrum Diaconum conciliatam, quam conciliationem luculentioribus verbis innuimus, supra, §. IV.

XVI. Albertus Magnus, ordinis Prædicatorum, qui teste Platinâ, sub Urbano IV. tantæ modestiæ fuerat, adeoque lectionum appetentissimus, ut Ratisbonensem Episcopatum abnuerit, quem tumultu & armis gubernari interdum opus erat, ut nunc etiam apud Germanos mos est: quæstionem Sententiarum in terminis tractat, negatque, damnatos, quibus & dæmones accenset, peccaturos esse. Cujus argumenta in utramque partem adducta suo loco expendemus.

XVII. Progrediamur nunc ad duarum in Scholâ familiarum Principes, Thomam & Scotum, quorum ille Bonaventuræ discipulus, & Alberti M. discipulus, spreitis, quæ ei offerebantur, dignitatibus, cum è Comitibus Apuliæ duxisset originem, totum se studiis dedit, cathedramque Parisiensem & Coloniensem primarias exornavit, à Johanne XXIII. P. quinquagesimo, postquam è vivis excesserat, anno inter Sanctos relatus; de quo Angelico Doctore, (is enim ob ingenii acumen ei apud suos titulus est) sic judicat Franc.

Bar-